



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Excurrit ad pacem co[n]ciliandam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

test, puerorum, ac rudium, tam priuatæ, quàm publicæ institutioni impendere, domesticisque nostris necessitatibus, præsertim in excipiendis Germanorum confessionibus alacriter inseruire &c.

Porro quanquam se totum in Studiorum occupationes abdiderat, tamen vitari non poterat, quin, cum vndiq; ad caritatem, atq; sapientiam tantam, ac paulo ante tam promptam, atq; expositam omnibus, pristino more concurreretur, interdum in publicam lucem, operamq; retraheretur. Aberat Dilinga tridui itinere Matrona præ-nobilis, cui (quod nimium sepe vitio mortalium vsu venit) cum liberis suis annos complures conuenerat pessime: neq; dissidium per multos, & magni nominis arbitros ad cõcordiam vnquam reduci potuerat. Visum est tandem vtriq; parti quippe Catholici erant, Canisium euocare, eiusq; fidei, ac prudentiæ tanquam arbitro ac sequestri causam omnem permittere. Existimarunt Patres, quorum sine consilio, ac nutu nihil mouebat, non deferendum piam adeo causam, nec occasionem prætermittendam. Itaque Deo duce, quò vocabatur perrexit, pacem composuit, semina in

*Excursus ad  
pacem concili-  
andam.*



futurum dissidij, quoad prouideri potuit, sustulit: præterq; ea, non pauca alia eodem loco è Catholica re perfecit. Haud longo interiecto tempore Vrfula Fuggera iam vidua cum Ioanne Fuggero, aliisq; domesticis Lauretanam, ac Romanã peregrinationem ingressa impetrauerat viã comitem, & conscientiaẽ Iudicem P. Vendelinum Volkium, qui multorum confessionibus egregio cum fructu Augustæ præerat. Existimauit Prouincialis Hoffæus vacuum eius locum relinquere non debere: nec à quopiam absentis vices melius, quam ab Canisio pro autoritate viri apud omnes Augustanos, maximè apud nobilitatem suppleri posse. Id cum Præposito Generali nuntiaffet, statim ille rescripsit, siquidem publice interesset Canisium habere domicilium Augustæ, haberet vtiq;: sed vt iniunctis à Pontifice vacaret studiis, in totum ei à confessarij munere vacatio esset, nisi si vnus cuiuspiam personæ maioris habenda ratio videretur. Sacerdotem itaque alium, quem nominabat, confessionibus destinaret. Hæ literæ quanquam celeriter tamen sero perlatae sunt. Canisius simulac Prouincialis innuerat, absque mora tanquam nihil præterea haberet negotij, aduo-

*Obedientia  
simplex ac  
prompta.*